Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sissimam margaritam. qua totius substantiae opibus emit agrum in quo repperiat thesaurum. quem
nec fur effodere nec latro possit auferre. Scio me offensurum esse quamplurimos. qui
generalem de vitiis disputationem in suam referant contumeliam. et dum mihi irascuntur suam
indicant conscientiam. multoque peius de se quam de me iudicant. Ego enim neminem
nominabo. nec veteris comediae licentia certas personas eligam atque perstringam.
Prudentis viri est. ac prudentium feminarum dissimulare immo emendare quod in se
intellegant. et indignari sibi magis quam mihi. nec in monitorem maledicta congerere.
qui et si hisdem teneatur criminibus certe in eo melior est. quod sua ei mala non placent.
Audio te religiosam habere matrem. multorum annorum viduam. quae aluit. quae erudi
vit infantem. ac post studia Galliarum quae vel florentissima sunt. misit Romam. non parcens
sumptibus. et absentiam filii spe sustinens futurorum. ut ubertatem Gallici nitoremque ser
monis gravitas Romana condiret. nec calcaribus in te. sed frenis uteretur; quod et in
disertissimis Graeciae viris legimus. qui Asianum tumorem Attico siccabant sale. et
luxuriantes flagellis vineas falcibus reprimebant. ut eloquentiae torcularia
non verborum pampinis. sed sensuum quasi uvarum expressionibus redundarent. Hanc tu
suscipe ut parentem. ama ut nutricem. venerare ut sanctam. nec aliorum imite
ris exemplum. qui relinquunt suas. et alienas appetunt. quorum dedecus in propatulo
est. sub nominibus pietatis quaerentium suspecta consortia. Novi ego quasdam iam ma
turioris aetatis. et plerasque generis libertini adolescentibus delectari. et fili
os quaerere spiritales. paulatimque pudore superato. per ficta matrum nomina eru
pere in licentiam maritalem. Alii sorores virgines deserunt. et externis viduis
copulantur. Sunt quae oderunt suos. et non suorum palpantur affectu. quorum impatientia index
animi nullam recipit excusationem. et cassa pudicitiae velamenta. quasi aranearum
fila. disrumpit. Videas nonnullos accinctis renibus. pulla tunica. barba pro
lixa. a mulieribus non posse discedere. sed eodem manere tecto. simul inire convi
via. ancillas iuvenes habere in ministerio. et praeter vocabulum nuptiarum omnia